

Descriptis accuratè terminis ac finibus singularum dicecesium, ne in vacuam domum sponfos Ecclesiæ introduxisse videri posset, dotavit decimis Episcopos ac Sacerdotes, auxit prædijs & amplis bonorum possessionibus, exornavit privilegijs & regalium etiam jure, supra quàm vel in Regno Franciæ, vel ulla orbis Christiani parte regia unquam liberalitas fecerat; tanquam Episcopos sacrorum Reges, & Saxoniam Sacerdotalem terram esse voluerit. Quod cum ex ceteris donationum tabulis, tum vel maximè ex utroque Caroli diplomate, Verdensis & Bremensis Ecclesiæ, constare potest, quo in hæc verba, *omni posteritatis memoriâ digna, effatur Imperator. Noverint omnes Christi fideles, quod Saxones, quos à primogenitoribus nostris ob sua pertinaciam perfidiæ semper indomabiles, ipsiq; Deo et nobis tam diu rebelles experti sumus, quousq; illius, non nostrâ virtute, ipsos et bellis vicimus, et ad Baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristina libertati donatos, et omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios et subjugales devotè addiximus, videlicet, ut qui nostræ potestatis jugum hæctenus ferre detrectaverunt, victi jam (Deo gratias) et armis et fide, Domino Salvatori nostro Jesu Christo et Sacerdotibus ejus omnium suorum jumentorum et fructuum, totiusque culturae decimas ac nutriturae divites ac pauperes legaliter constricti persolvant.*

Qui amplis eos juribus ac bonis dotavit.

Magnæ vel his decimis opes Sacerdotum, si integræ, ut à Carolo præscriptæ sunt, permansissent apud posteros.

Episcopatus, quos Carolus M. primùm in Saxonia condidit, octo fuere, Osnabrugensis, Halberstadiensis, Paderbornensis, Mindensis, Verdensis, Bremensis, Mimigardevordensis seu Monasteriensis, & Hildesimensis. Ita facti singulorum, & scriptores passim uno consensu tradunt. Hos dum vixit Rex & Imperator, suis finibus descripsit & absolvit; quibus additos præterea duos imperfectos reliquit, Schidrensem & Hamburgensem. Atque hunc in modum decem passim Episcopatus Carolini numerantur. Hamburgensem Ludovicus Pius Imperator, Caroli filius, explevit: Schidrensem, cujus prima sedes apud nos Schidroburgi in montibus Teutonicis intra Angrivarios designata fuit, alij Principes ac Cæsares aliò atque aliò transtulere, donec Otto M. Magdenburgi in stabili & Archiepiscopali sede collocavit. Singulis à Carolo sui Episcopi & pastores dati: Osnabrugensi Wiho, Halberstadiensi Hildegrimus D. Ludgeri frater, Paderbornensi Burchardus Herbipolensis Episcopus vicario opere commissus, dum Hathumarum postea à Carolo proprium Episcopum acciperet: Mindensi Herimberrus, aut, ut alij vocant, Hercumbertus impositus; Verdensi Suitbertus, Bremensi Willehadus, Monasteriensi Bernardus primùm religiosus Abbas, ac deinde Ludgerus: Hildesimensi Guntherus; atque hi vivo Carolo Episcopi consecrati. Hamburgensi Heridagus Presbyter; ex quo gradu Albertus etiam Sacerdos

Episcopatus à Carolo M. conditi.

Primi singulorum Antistites.